

1510 citari , perque orbem terrarum vulgatis impressione tabulis omnibus in urbibus atque locis proponi atque appendi mandavit . Præter hæc augendo eo , quem in illius fines induxerat exercitu , duo alia Helvetiorum millia stipendio ad eos missa per suos internuncios accersivit . Minis etiam & maledictis Aloisium Gallorum regem omnibus in sermonibus quotidie infectabatur , onerabatque perfidiæ in Christi vicarios nota , quorum ipse tutelam & propugnationem clarissimo vocabulo præ se ferret ; perterrere illum volens , ne ulterius Alfonsum tueretur , missaque ad illum auxilia sua revocaret . Quibus de rebus Aloisius certior factus , animum prope inducederat , ut se ab Alfonso defendendo abstineret : præsertim quod ejus uxor Anna regina , optima sanctissimaque fœmina , quæ prægnans tunc erat , magnopere virum quotidianis precibus obtestabatur , ne arma in Romanum Pontificem exerceret : existimare se se , ventrem , quem ferebat , aliter prospere se non gestaturam . vehementissime autem rex cupiebat prolem , quam adhuc nullam habebat , ex ea suscipere .

Alienanda vero ab Aloisio Genuensium civitatis cogitationem Julius non modo non abjecerat , non prospero eventu rerum deterritus , sed etiam auxerat , ardentior repulsa irritationque factus . itaque ad naves duas onerarias maximas conducendas atque armandas & ad classem reliquam addendas Neapolim misit : Helvetiosque priore a se stipendio in regis fines impulsos , ad Genuam expugnandam esse adducendos cogitavit . quas ad res id ei etiam animos addiderat , quod plerosque ex iis , qui Romæ erant fæcrodotes magnis thesauris prædicti , ea æstate mors abstulerat : quibus thesauris jure ad se reduntibus ditior factus , fortunam ipsam favere suis rebus cogitationibusque dictitabat , planeque gloriabatur . Senatus autem , uti Julio satisferet , naves triremes duas & biremes aliaque navigia perplura armari , Marcoque Antonio Contareno , qui ad Fossam Clodium cum triremi una erat , mitti oportere legem scivit : quam ille clas-